

1522

sunt, Amplissimi Patres, nulla re magis commoveri, atque angere, quam bellorum hisce diffidiis, quibus miserrime superiori-
bus annis Europa, ac praesertim Italia conflagravit; quibus actus communis hostis, imperii propagandi occasione oblata, nihil non egit, ut Christianos Principes inter se mutuis bellis attritos, summis damnis, & cladibus afficeret. Inde in Pan-
nonias cum ingenti exercitu profectus, Albam graecam, alia-
que potentissimi quondam regni oppida expugnavit. Hoc anno Rhodum, classe innumeris navigiis instructa, est aggressus. Et tamen haec arma, quae in Ottomanum hostem converti oportebat, in nosmetipsos convertuntur: sanguinem nostrum exhauriunt, tabescente, ut ita dicam, peramplo hoc, & vasto Christianae Reipublicae corpore. Ac vos, qui maritimis copiis, & viribus superioribus tempestatibus magna cum ea gente bella gessistis, ob eos turbines, qui Cisalpinam Galliam afflixere, egregios illos vestros spiritus remittere, ac fere abjicere coacti estis. Doluit Caesar bellis quassatam Rempublicam vestram per tot annos, vires, thesauros insumpsisse: neque inter armorum strepitus illius animus a pace unquam cum vobis aversus fuit; unum id semper optavit, ut diffidia, quae inter domum Austriacam, Venetamque Rempublicam exarserant, concordiae, ac foederis nexibus delerentur; cum praesertim earum, quae Vormaciae per quinquennium pactae sunt, induciarum tempus elapsum fuerit; meque potissimum delegit, qui illius mentem, atque sententiam aperirem, potentissimique Imperatoris nomine a Veneta Republica pacem peterem. Enim vero id summo honoris loco haberi debet, quod Carolus Imperator, inter Christianos Principes supremum adeptus dignitatis fastigium, potentia, opibus, belli, pacisque artibus florens, tot regnorum possessione pollens, ultro pacem, ac pristinam vobiscum amicitiam enixe cupiat, ac flagitet, atque ejusmodi conditionibus sancendam velit, quibus maxime Reipublicae vestrae decori, & utilitati prospectum sit. Quid enim, si recte cuncta aequa aestimatione metiri velimus, rebus vestris conducibilius accidere potest, quam Gallos, qui jam intra proprios fines se recepere, atque paucis exceptis oppidis cito casuris, nihil reliqui in Insu-
subribus obtinent, Gallia Cisalpina prohibere, quietemque illam, ac pacem diuturno tempore servare, quam post multos
labo-